





DISSERTATIO INAUGURALIS  
CHEMICO-MEDICA

DE

SALIBVS MEDIIS

QVAM

CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE

PRAESIDE

IOHANNE FRIDERICO CARTHEVSER

MED. DOCT. ET PROF. PVBL. ORD.

VNIVERSITATIS h.t. RECTORE

ET FAC. MED. DECANO

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

LEGITIME IMPETRANDIS

DIE XXIV. MAII MDCCCXI.

H. L. Q. C.

DEFENDET

A V C T O R.

HENRICVS GOTTLIEB HOPPE

CVSTRINENSIS NEO-MARCHICVS.



FRANCOVRTI AD VLADRVM

EX OFFICINA IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI

ACAD. REG. TYPOGR.

DISSEPTATIO IN ANATOMIA  
CHIMICO-MEDICA  
SALUBRIS MEDICIS

CONSENSU GRATIAE FACULTATIS MEDICAE  
IOHANNIS FRIDERICI GANTHEVIER  
UNIVERSITATIS HALLENSENSIS

PRO GRADU DOCTORIS  
SUMMO IN MEDICINA  
LEGITIME OPTINE  
DIE XXV. MARCHII

HENRICHUS GOTTFRIEDUS  
HALLIENSIS  
M.D.C.C.C.

EX OFFICINA IOHANNIS CHRISTIANI WINTERI  
LEAD. REG. 1730





## PROOEMIUM.



*Quantum incrementi medicina ex eo potissimum tempore coeperit, quo medici Chemicam magis magisque excellentes et in medicinam introduxerunt, optime, si medicamenta intueamur, elucescit. Quot et quantis morborum remediis aucta est ars salutaris? Quantum discrimen inter medicamenta Galenica et chemica? Chemicam sane effecit, ut medici non solum preparationes medicamentorum emendare, sed et numerum illorum augere, et nova excogitare, et in emolumentum generis humani elaborare potuerint. Consideremus quæso statum medicinae*

*A*

*tempore*

PROOEMIUM.

tempore Hippocratis et Galeni: Laboriosa sane erat methodus conficiendi medicamenta, et tamen haut perfecta, sed fastidiosa potius et exigui pretii medicamina obtinebant, et optimis adhuc destituti erant. Nihil prorsus ex Mercurio, nihil ex Antimonio producere callebant. Postquam vero viri, in Chemia exercitatissimi, perscrutari hæc corpora, et in laboratoriiis examinare coeperunt, quam salutifera inde remedia in maximum medicinae commodum et incrementum exorta sunt? Herculea sane! sed hæc modo allegata non solum, sed optima quæque medicamina in veritatis hujus probationem adducere possumus. Contemplemur quæso divinum illud remedium Nitrum, conspiciamus alia ex salibus mediis. Nonne hæc omnia per operationes chemicas partim producuntur, partim, ad majorem perfectionem redacta, ad usum medicum aptiora redduntur? Nemo certe in dubium vocabit. Sed sunt ne hæc ipsa medicamenta præstantissima? De hac veritate itidem nemo dubitabit, qui pagellas hæc aspectu haut indignas æstimabit, in quibus ortum et usum illorum salium explicare et recensere studui. Cæterum, si quid Lector Benevolus emendandum deprehendet, imbecillitati virium mearum id tribuet, et si labor ipse non penitus arrideat, conatus adminimum non improbabat.

CONSI-

## CONSIDERATIO CHEMICA.

### §. I.

Sal medium est sal, ex intima arctissimaque combinatione materię alkalinę et salis acidi obortum.

Schol: Varię sunt denominationes, quę hujus generis salibus imponuntur, sic per voces *sal falsum, neutrum, enixum* etc. idem, ac per sal medium, subjectum indigitatur, et licet Autores quidam in denominationibus dictis differentiam salium mediorum sese deprehendere existiment, alii tamen et plurimi omnes illas pro synonymis habent. Nostrium horum salium cognomen ab omnibus ferme, ideoque forsan, receptum est, quoniam naturam illorum, quę neque acida neque alkalina est, sed medium quasi inter utramque tenet, voce hac optime exprimi putarunt.

### §. II.

Cum salia media sub titulo salium comprehendantur, proprietates quoque salium ipsis ut convenient necesse est, et hoc experientia comprobat: Salia media in aqua solvuntur, et sapore salino prædita sunt.

### §. III.

Vox alkali in Chemia vario gaudet significatu: Interdum enim denotat sal alkalicum, interdum et terrę alkalinę tribuitur. Nos hic per materiam alkalinam §. I. utrumque intelligimus, s. sensu generali hic omne id, quod cum acido effervescit, et linguę lixiviosum saporem imprimit, indigitamus.

## §. IV.

Dantur corpora, quæ quidem, quatenus nec purum alkali, nec purum acidum, sed ex his conflatum sal continent, salia media vocari possent; attamen, cum vel principio terrestri, vel oleoso, vel aqueo in mixtione abundant, in censum nostrorum salium mediorum non veniunt, sed, dum intimam combinationem desideramus, justam non minus saturationem, quam formam siccam requirimus.

## §. V.

Cum tam salia acida, quam alkalina volatilia, si rite tractentur, in crystallos abire videamus, salia media autem ex sale acido et materia alkalina componantur §. I., ratio patet, cur salia media in forma crystallosum appareant, si vero nonnulla excepta sint, hoc inde deducendum erit, quod nimiam evaporationem aquæ, ad genesis crystallosum necessariæ, requirant, cum alias in formam siccam redigi nequeant.

## §. VI.

Sal acidum quodvis quidem trium naturæ regnorum largitur, interim tamen ad producenda salia media acidum ex regno minerali et vegetabili tantum desumitur.

## §. VII.

In regno minerali per experimenta chemica triplex sal acidum detectum est. Aliud enim, quoad effectus et operationes suas, est sal acidum, quod mixtionem nitri ingreditur, ac illud, quod ex sale communi elicitur, et hoc iterum diversum est ab eo, quod in vitriolo latet.

Schol: Probe quidem scio, Autores quosdam unum modo acidum, nempe universale s. primigenium, vel primordiale, assumere, quod pro tanta diversitate corporum, cum quibus unionem subiit, tantas passum sit mutationes, sed scio quoque, sententiam hanc extra omnem

omnem dubitationem nondum positam esse, et licet etiam verissima esset, ad distinctionem nihilominus salium mediorum acidum hoc secundum corpora, quibus inhabitat, determinandum, ideoque nomina recepta retinenda forent.

§. VIII.

Dum igitur hoc conamur, et ortum salium mediorum, prout scilicet hoc vel illud sal acidum se materiae alkalinae associat, considerare suscipimus, statim ad rem ipsam accedentes, ab acido regni mineralis, sc. acido nitri, initium faciemus.


§. IX.

Si igitur hoc specificum acidum, ex aere per terram pinguem s. urinosam attractum, cum sale alkalico fixo rite combinatur, sal inde emergit, quod *Nitrum* appellatur.

Schol: Putare quidem hic posset aliquis, nitrum non solum ex acido specifico et sale alkalico fixo, sed etiam ex phlogisto s. inflammabili compositum esse, ideoque consulto diximus acidum, per terram urinosam attractum. Quicquid enim inflammabilis substantiae adhuc in nitro latet, et per experimenta detegitur, ab hoc certe primo receptaculo ortum suum trahere videtur, quoniam, si in hoc solo adhuc delitescit, magnum volatilitatis gradum possidet.

§. X.

Cum nitrum §. 9. alkali fixum in mixtione sua habeat, et in forma solida sicca appareat, patescit, quod nitrum §. 9. nil, nisi sal fastidium s. nitrum, arte ad perfectionem redactum, esse possit, hoc vero tantum esset *Nitrum crudum*, hinc notandum, quod hoc iterum in pharmacopoliis emendationem patiatur, et a partibus adhaerentibus alienis liberetur. Et hoc



hoc saltem nitrum in usum medicum vocatur, et *Nitrum depuratum* appellatur.

§. XI.

Si acidum specificum §. 9. ex corpore nitri factitii elicitur, et rursus cum alkali fixo debito modo conjungitur, nitrum paratur, quod dicitur *Nitrum regeneratum*. Si vero loco alkali fixi alkali volatile urinosum additur, tunc iterum duplex sal inde emergit, prout scilicet vel sal ammoniacum, vel spiritum ejus aquosum adhibemus: Nam in priori casu habemus *Nitrum ammoniacale Wedelii*, in posteriori *Nitrum flammans Hoffmanni* s. *Nitrum volatile Boerhaavii*.

§. XII.

Cum salia nitrosa §. 9, 10, 11. id commune habeant, quod ex sale acido et materia alkalina conflata sint, omnia hæc salia media esse debent.

§. XIII.

Cum salia media sub forma crystallorum appareant, §. 5. patet, cur et in nitro crystallorum figura observetur. Est vero prismatica hexaedra apicibus pyramidatis hexagonis. (\*)

§. XIV.

Ab acido nitri ad acidum salis progredimur, consideraturi, quænam salia media ex hujus combinatione cum materia alkalina oriantur.

§. XV.

Conjungitur autem, æque, ac apud nitrum observavimus, l. cum alkali fixo vel cum volatili. A priori incipimus: Hoc alkali fixum est vel terra alkalina cretacea, vel perfectum sal alkalicum fixum. Si prius, corpus ex unione resultat,

(\*) Linnæus system. natur. p. 5.

resultat, quod vocamus *sal commune*, *sal culinare*, quod iterum secundum loca natalia in marinum, fossile, et fontanum dividitur: Sin autem posterius, perfectum nempe *sal alkalicum fixum*, sive sit *sal tartari*, sive sint cineres clavellati, *sal* habemus, quod nominatur *digestivum Sylvii*.

### §. XVI.

Cum utrumque, *sal commune* scilicet et *digestivum Sylvii*, ex acido eodem et materia alkalina conflatum sit, non solum patescit, utrumque esse *sal medium* §. I., sed ratio quoque apparet, cur etiam a quibusdam pro eodem *sale medio* habeatur. Sed cum tamen loco terræ *sal alkalicum fixum* posterius ingrediatur, non negari poterit, quod *sal commune* magis purificatum, ideoque eminentiori forsan virtute præditum sit.


Schol: Ne forte in mentem cui incidat, nos hic *sal commune* regeneratum silentio præterisse, perpendendum cuius relinquimus, quænam sit differentia inter hoc et *digestivum Sylvii*: Sane, si quæ occurrit levissima, tantum hæc est, quod ad prius præparandum acidum *salis*, ex ipso *sale communi* antea destructo evocatum, adhibeatur, ad componendum *digestivum Sylvii* autem plerumque e *sale ammoniaco* eliciatur.

### §. XVII.

Jam ad alterum membrum §. 15. pergimus: Nimirum, si cum *alkali volatili* s. *urinoso acidum salis unionem* subit, corpus producit, quod vocatur *sal ammoniacum*.

Schol: Cum per experimenta chemica certum sit, quod ad constituendum *sal ammoniacum sal alkalicum volatile* requiratur, nobis idem est, an chemici ad præparationem ejus fuligine, an vero urina, aut stercoribus animantium utantur, dum *alkali volatile* tam ex regno vegetabili, quam animali, desumi potest.

Schol:



Schol. 2. Hic et de floribus salis ammoniaci mentio facienda. Notandum autem, flores hos, quoad principia constitutiva, ab ipso quidem sale ammoniaci plane non discrepare; verum, cum per sublimationem non solum a partibus impuris alienis depurati sint, sed subtilissima etiam eorum pars semivolatilem indolem acceperit, merito salis ammoniaci sibi relicto respectu usus medici præferuntur: Quod denominationem vero attingit, illam secundum usum loquendi Chemicorum obtinuerunt, qui subtilissimam partem, sublimatione impetratam, flores nuncupare solent.

#### §. XVIII.

Patet autem ex omnibus his non fecus, ac in §. 13. concludimus, cur omnia hæc ex acido salis prognata salia non solum jure salibus mediis annumerentur; sed patet quoque, cur itidem crystallos ostendant, quæ sunt in sale communi cubicæ hexaedræ.

#### §. XIX.

Unum adhuc restat acidum minerale, quod majori ferme, quam priora, contemplatione dignum est, dum sat multa ejus ope salia media nanciscimur. Hoc, quoniam ut plurimum ex corpore vitrioli vi ignis extorquetur, dicitur acidum vitrioli.

#### §. XX.

Diximus, acidum vitriolicum ut plurimum quidem, ast non semper, ex vitriolo extorqueri, et ex hoc protinus intelligitur, acidum hoc in aliis quoque corporibus latere et ex iis educi posse. Primo itaque acidum vitrioli proprie sic dictum, s. e vitriolo separatum, ejusdemque conjunctionem cum materia alkalica considerabimus.

#### §. XXI.

§. XXI.

Quando igitur pars alcalina est sal alkalicom fixum, inde sal exfurgit, quod, quia veteres plerumque sal tartari, aut oleum tartari per deliquium adhibebant, dictum est *Tartarus vitriolatus*.

Schol. Cum sæpius in materia medica mentio fiat *Tartari vitriolati Tacheniani*, non incongruum erit, hic explicare cognomen. Notandum itaque erit, quod veteres Chymici, Zwölfferus et alii, tartarum vitriolatum ex oleo vitrioli et fale tartari præparare confueverint, quæ præparatio Tachenio, magni nominis Chymico, plane non arridebat, quare primus emendabat processum hunc, et loco olei vitrioli solutionem ipsius vitrioli substituebat, et hujus saturationem cum cineribus clavellatis suscipiebat, ideoque nostris temporibus nomen ejus præparationem talem, minori pretio et laudabili nihilosecius effectu jam commendatam, postulat.

§. XXII.

Si vero nitrum terra sua alkalica orbatur, et hæc cum acido vitriolico in unum corpus redigitur, hoc sal nomine *Arcani duplicati* insignitur.

§. XXIII.

Sin denique processus hic cum fale communi instituitur, et ejus terra alkalica §. 15. cum acido nostro combinatur, iterum aliud sal medium producit. Hoc autem fit vel per artem tantum, componendo nimirum et conjungendo hæc duo elementa, vel inducendo solummodo formam siccam crystallinam his salibus, a natura jam elaboratis. In priori casu habemus *Sal mirabile Glauberi*, et *Sal Anglicanum factitium*; in posteriori vero salia fontium amara, ut *Sal Ebrhamense s. Anglicanum nativum*, *Sal Sedlitzense et Seidschützense* et *Sal Egranum*.

B

Schol.

Schol. Quod hic duplicis salis Anglicani mentio fiat, neminem detinebit, qui historiam de præparatione ejus legit. Inde enim scimus, hoc sal tum ex fontibus quibusdam Angliæ coqui, tum ibidem ex muria salis marini, et capite mortuo vitrioli arte confici, et cum jam omnes hæ species pro uno eodemque sale vendantur, et re vera principiis et viribus conveniant, abusus hujus nominis jam invaluit, et omne sal Anglicanum laxans sal Ebshamense vocatur.

Schol. 2. Consulto diximus, salia fontium media et amara ad censum hunc pertinere, dum hic purum sal enixum, quod neque cum acido neque cum alkali effervescentiam subit, desideramus, reliquas vero species salium, quas fontes foterii largiuntur, et quæ neque salibus amaris, neque puris salibus mediis annumerari possunt, excludimus.

#### §. XXIV.

Sed terra talis alkalica, cum acido vitrioli conjungenda, ex alio adhuc corpore desumitur, et hoc est salinum illud concretum, quod Borax audit. Hoc, cum acido vitrioli, tum per saturationem, tum per sublimationem combinatum, in sal transit, quod vocatur *Sal volatile vitrioli narcoticum Hombergii*. Jam in Borace idem quidem acidum, sc. vitriolicum, sed et terra quædam vitrescibilis detecta sunt; (\*\*\*) hinc ad sal vol. vitr. n. necessario materia terrestris alkalica Boraci detrahitur, et, addita justa quantitate olei vitrioli, hoc sal componitur.

#### §. XXV.

Attentionem omnino in hoc sale singularis subtilitas seu volatilitas propria meretur, dum more salium ammoniacalium

(\*) Neumann prælect. chem. p. m. 1847. it. Hoffm. Obf. physf. chym. p. 258.

(\*\*) Neumann prælect. chem. p. 1522.

calium per sublimationem evahitur, sed cum Borax, in dupla quantitate accedens, inflammabili principio gaudeat, a veritatis via non deflectemus, si proprietatem illam ab hoc deducimus.

Schol. Bene scio, hoc sal volatile minus usitatum esse hisce in locis: Attamen, cum præparatio ejus, quod ipse expertus testari possum, certissima sit, rationem aboliti usus reddere nequeo, neque vicio mihi vertetur, me illud hic attigisse, cum crebriorem forte usum mereatur.

§. XXVI.


Quoties denique acidum vitrioli cum alkali urinoso combinatur, iterum aliud sal nanciscimur, quod primam compositionem suam Glaubero debet, et inde vocatur *Sal secretum Glauberi*, qui ad processum hunc spiritum salis ammoniaci et oleum vitrioli, observata justa saturatione, adhibuit, et abstractione in formam siccam salinam redegit.

§. XXVII.

Jam ad alterum membrum §. 20. progrediemur, spectaturi acidum vitriolicum, ex aliis corporibus desumptum. Inter hæc vero chemici reliquis præferunt sulphur, quod per fusionem vel cum nitro, vel cum nitro et tartaro miscetur, et sic sal præparatur, quod in priori vocatur *Polychrestum*, in posteriori *Sal de Seignette*.

§. XXVIII.

Cum ex distillatione spiritus nitri compertum habeamus, acidum vitrioli terram ejus ingredi, et acidum nitri expellere, in præparatione *salis polychrestii* acidum vitrioli cum terra alkalica nitri in sal medium degenerat. Jam tale sal vocatur *Arcanum duplicatum* §. 22. Ergo re vera sal polychrestum nil, nisi arcanum duplicatum, est, et esse potest.



## §. XXIX.

In præparatione *Salis de Seignette* tartarus adhuc accedit. Si vero nitrum cum tartaro per ignem miscemus, *Sal alkali extemporaneum* acquirimus. Ergo in hoc processu acidum vitrioli cum sale alkalico fixo combinamus, tale sal vero nuncupatur *Tartarus vitriolatus* §. 21.; hinc sal de Seignette, tali modo elaboratum, nil, nisi tartarus vitriolatus est.

Schol. Loquimur hic de præparatione salis de Seignette, quam Neumannus palam fecit (\*) et Schulzius allegavit (\*\*); si vero hoc sal juxta præscriptionem b. Teichmeyer, et Excell. Dn. Præsidis (\*\*\*) ex crystallis tartari, et soda Hispanica conficitur, plane aliud sal medium est, quod ordini huic non inferi poterit, sed nostro tartaro tartarifato simillimum erit.

## §. XXX.

Tam latum quidam de tartaro vitriolato sibi formarunt conceptum, ut cuius materiæ alkalinae, cum acido vitrioli combinatae, nomen hoc imponant. Jam in omnibus a §. 21. ad 27. recensitis salibus in genere hoc deprehendimus, hinc patet, cur nonnulli omnia hæc salia tartaros vitriolatos appellare soleant, sed cum re vera inter alkali et alkali magnum sit discrimen, et producta etiam salia multum inter se differant, denominatio hæc jure rejicienda est, ne confusio occasionem largiamur.

## §. XXXI.

Cum salia, §. 21-27. contenta, id commune habeant, quod ex materia alkalina et sale acido oriuntur, omnino inter salia media locum habere, et in crystallis comparere debent.

## §. XXXII.

(\*) In prælect. de nitro p. 92.

(\*\*) Chymische Versuche.

(\*\*\*) Pharmacolog. p. 418.

Pertractatis nunc salibus mediis, quæ acidum minerale ingreditur, ad ea descendendum, quæ ex acido vegetabili constantur. Sed cum magna pars vegetabilium sale acido scateat, ingens salium mediorum cohors confici possit; hinc ea tantum contemplaturi sumus, quæ longo usu jam divulgata, et ad usum medicum dudum recepta sunt.

§. XXXIII.

Ad hac præparanda tria acida præ ceteris elegerunt, sc. succum citri, tartarum, et acetum vini. Quodlibet horum singulari consideratione indigebit.

§. XXXIV.

Si succus citri cum sale alkalico fixo saturatur, nascitur inde sal, quod secundum speciem salis alkalici fixi denominatur. Si enim hoc fuerit sal tartari, *Tartarus citratus*, si sal absinthii, *Sal absinthii citratum* vocatur.

§. XXXV.

Alterum acidum, nempe tartareum, vel cum sale alkalico fixo, vel cum volatili conjungitur, et quoniam prius iterum cum sale tartari peragitur, sal inde natum audit *Tartarus tartarificatus*, ad posterius spiritus salis ammoniaci adhibetur, et sal, ex hoc productum, est *Tartarus solubilis*.

Schol. Quidam hic nullum agnoscunt discrimen, sed cum Boerhaavio (\*) Tartarum tartarificatum et solubilem pro synonymis habent. Sed cum tamen in præparatione differant, fatius erit, secundum hæc nomina cum Neumanno et aliis distinguere. (\*\*)

(\*) Anfangs-Gründe der Chymie, T. 2. p. 507.

(\*\*) Prælect. chem. p. 413.

## §. XXXVI.

Ultimum est acetum vini. Huius saturatio cum sale alkalico fixo, et quidem sale tartari instituitur, et notissimum inde sal nanciscimur, quod dicitur *Terra foliata tartari*, *Arcanum Tartari*, ut et *Tartarus regeneratus*.

Schol. Cum variæ unius rei denominationes molestam nonnunquam inducant prolixitatem, operæ pretium erit, ut de nominibus salis nostri aliquid dicamus. Terra foliata tartari audit plerumque sal, quod secundum operosam methodum, in dispensatorio Boruss. Brandenburgico (\*) descriptam, elaboratur. Arcanum tartari vero quidam sal vocant, quod brevissima saturatione ex iisdem ingredientibus conficitur, (\*\*) et huic quidam tertium nomen dant, et, omissis prioribus, nominant Tartarum regeneratum, (\*\*\*) sed hæc aliquantulum diversæ præparationes revera nullum pariunt discrimen, et si modo justa saturatio, et lenis evaporatio observata fuerit, veram terram foliatam tartari accipimus.

## §. XXXVII.

Cum salia, §. 34. ad 36. descripta, iisdem, ac priora, e regno minerali petita, principiis constitutivis gaudeant, eodem jure salibus mediis annumeranda erunt §. 1. Quod vero non, ut priora, crystallorum figuras repræsentent, ratio ex §. 5. desumenda, ubi de crystallificatione salium mediorum aliquid attulimus.

## §. XXXVIII.

Nunc de plurimis salibus mediis actum esset: De plurimis, inquam, nequaquam vero de omnibus. Quædam enim

(\*) Edit. de anno 1731. p. 34.

(\*\*) Vid. Schulgens's Chymische Versuche, d. 10.

(\*\*\*) Boerhaav. Anfangs-Gründe der Chymie, Tom. 2. p. 509.

enim hoc interdum nomine splendent, quæ tamen æqua lance pensitata illud tueri non possunt, et si quæ adhuc fuerint vera atque completa, illa neque ad praxin medicam, neque ad scopum nostrum requiruntur. Copia pertractatorum sat magna jam est; quamobrem haut abs re erit, si ea in emolumentum memoriæ sequentem in modum in conspectum damus.

## SAL MEDIVM.

**C**onflatum est ex alkali, et acido, quod est vel

I. Minerale, et tunc vel

1. Acidum nitri.

- a. Cum sale alkalico fixo *Nitrum*, *Nitrum regeneratum*.
- b. Cum alkali urinoso salis ammoniaci.

- a. I. in substantia adhibiti *Nitrum ammoniacale Wedelii*.
- β. I. c. spiritu ejus *Nitrum flammans Hoffmanni*.


2. Vel acidum salis communis.

- a. Cum terra cretacea *Sal culinare*.
- b. Cum sale alkalico fixo *Sal digestivum Sylvii*.
- c. Cum alkali volatili *Sal ammoniacum*.

3. Vel acidum vitrioli.

- a. I. ex ipso vitriolo.
  1. Cum sale alkalico fixo *Tartarus vitriolatus*.
  2. Cum terra alkalica nitri *Arcanum duplicatum*.
  3. Cum terra alcalica salis communis *Sal mirabile Glauberi*, *Sal Anglicanum*, et *Salia fontium amara*.
  4. Cum terra alcalina boracis *Sal volatile vitrioli narcoticum Hombergii*.
  5. Cum alkali urinoso salis ammoniaci *Sal ammoniacum secretum Glauberi*.

b. I. ex



- b. I. ex sulphure desumptum et  
 a. Cum terra alkalica nitri combinatum *Sal polychrestum Gallorum.*  
 β. Cum sale alcalico fixo *Sal de Seignette.*
- II. Vel acidum vegetabile, et tunc
1. Vel acidum malorum citri
    - a. Cum sale alcalico fixo *Tartarus citratus.*
    - b. Cum sale absinthii *Sal absinthii citratum.*
  2. Vel acidum tartareum.
    - a. Cum sale alcalico fixo *Tartarus tartarisatus.*
    - β. Cum alkali urinoso salis ammoniaci *Tartarus solubilis.*
  3. Vel acetum vini cum sale alkalico fixo, *Terra foliata tartari.*



## CONSIDERATIO MEDICA.

### §. I.

Postquam ortum et genesin salium mediorum consideravimus, necessarium videtur, vires et usum eorum subungere. Præterquam enim, quod ordo postulare hoc sibi possit, operæ adhuc pretium erit, de virtutibus salium dicere, quæ inter quævis salia singulari præstantia et manifesta excellentia gaudent.

### §. II.

Si igitur nitrum primum est, hujus quoque virtutes primo examinandæ erunt. Hæ vero, quamvis diversæ, et sat multæ sint, ad duas generales redire videntur, quæ sunt *virtus stimulari et refrigerans.*

### §. III.

§. III.

Vis nitri stimulanſ illi tanquam ſali denegari non poterit. Ab hac vero iterum aliæ pendent: Nitrum enim vi partium ſuarum acutarum non tantum excitabit fibras corporis, et ad majorem contractationem irritabit, ſed materiam quoque tenacem in minutiffimas moleculas diſcerpet. Ex utroque item aliæ virtutes derivari poſſunt: Si priorem conſideramus operationem, nitrum ſtimulat ventriculum, ut collectas cruditates expellat, hinc digeſtiva, nitrum motum periftalticum adauget, hinc laxante, nitrum denique vias urinarias ad uberiorem urinæ ſecretionem concitat, hinc diuretica virtute præditum eſſe dicitur.

§. IV.

Sed nitrum quoque vi partium ſuarum ſalinarum materiam glutinoſam in particulas minimas dividit §. 3. Effeſtus hic dicitur *reſolutorius*, et per experimenta, cum ſanguine congrumato inſtituta, in nitro demonſtratus eſt. Hic in corpore noſtro rurſum novas progignit virtutes. Si enim in inflammationibus hæret ſanguis ſtagnans et immobilis, nitrum illi fluorem conciliandi, ideoque *inflammationibus mendedi* virtute gaudet; cui accedit, quod non raro a ſanguine, vel aliis humoribus concretis nervi ſubjacentes tendantur, i. e. ſpafmi producantur; quare ſi nitrum ſtagnationes aufert, et ſic cauſas tenſionis nervorum tollit, et *antiſpafmodica* virtus nitro hoc ſenſu competit.

§. V.

Jam et altera virtus nitri, cujus mentionem fecimus §. 2, conſideranda venit, et hæc eſt refrigerans. Maniſteſto quidem experimento probari poteſt hæc nitri virtus, dum linguæ applicatum frigoris ſenſum excitat; aſt refrigerium  
C tale

tale actuale in corpore nostro fieri per nitrum, concedere quidam nolunt, adeoque variis modis illud explicare studuerunt. Quidam enim cum b. m. Hoffmanno (\*) opinantur, nitrum particulis suis oblongis, motum rectilineum servantibus, motum intestinum globulorum sulphureorum vorticosum minuere, sicque calorem coercere: Alii facillime phoenomenon hoc sic explanare conantur: Nitrum, inquit, ceu sal et corpus densum, non solum in genere particulas igneas attrahit, sed eo citius hoc præstat in corpore humano, quoniam in hoc multo calidius solutum ingeritur, cum vero sic corpus nostrum particulis igneis privetur, nitrum sic refrigerium in corpore nostro causatur (\*\*). Alii denique, quæ est sententia Excell. Præsidis, omnem nitri vim refrigerantem ex resolutoria, et aperiente nitri virtute deducunt, ideoque in illis tantum casibus, ubi ab obstructione tubulorum cutaneorum ex-et inhalantium, et inde orta retentione materiæ caloris sulphuræ æstus præternaturalis morbosus in corpore accensus est, nitrum refrigerantem vim suam exserere posse, existimant.

#### §. VI.

Si magnus calor in corpore nostro, quacunq; etiam ex causa sit productus, nascitur, sanguis majus occupat spatium, et vasa expandit, adeoque hæc ad fortiorem systolen concitantur, et quo plus distenduntur, eo magis se contrahunt, jam nitrum est refrigerans §. 5., hinc et nitrum virtute motus nimios temperandi, et contractiones vasorum relaxandi pollet.

#### §. VII.

(\*) In Dissert. quæ Observat. circa  $\odot$  tradit.

(\*\*) Vid. Dissert. med. Auctore C. F. Henrici habita Halæ 1745. de Nitrosorum modo agendi usu et abusu.

Cum *Nitrum regeneratum* iisdem partibus constitutivis gaudeat, ac nitrum depuratum, facili argumento fuit, illud eosdem quoque præstiturum esse effectus. Nec multum differunt ab hoc species nitri volatiles, cum sale urinoso paratæ, sed pariter in inflammationibus, scopo resolvendi et temperandi, adhibentur, et cum, teste Boerhaavio, mitiorem adhuc operationem exserant, rarius paullo, quam vulgare, in usum vocantur.

§. VIII.

Eo crebriori usu celebre est sal medium, quod ordine nunc sequitur. Est autem hoc *Sal culinare*. Quamvis enim nostro ævo usus ejus diæteticus magis, quam medicus sit, hoc ipsum tamen optimum præstantiæ ejus testimonium suppeditat. Ratio autem procul dubio in eo latet, quod mitissima et valde amica virtute stimulante prædictum sit, cujus beneficio non solum digestionem adjuvat, cruditatum tenacium collectionem, et saburræ genefin impedit, eamque incidit, verum etiam se-et excretionum successum blande promovet.

§. IX.

Ast medicamenti etiam loco interdum usurpatur: Si enim majori dosi assumitur, alvum omnino laxare, et vermes domicilio suo ejicere valet citra ullam corporis noxam. Cum tamen magna dosis plurimis ingrata sit, locum ejus occupare potest *Sal digestivum Sylvii*, quod aliquanto parciore dosi eundem effectum incidentem et anthelminticum præstat.

## §. X.

Ultimum hujus profapiæ *Sal est ammoniacum*, quod pariter viribus plane egregiis donatum reperitur. Cum enim præter alkali volatile eadem, quæ pertractata salia, principia constitutiva agnoscat, virtute iis superius potius, quam inferius esse debet, et hoc, quoniam magis penetrantem, et semivolatilem inde nanciscitur indolem. Quid igitur mirandum, quod tum contra amurcam viscidam, tum contra omnis generis humores concretos glutinosos, et inde propullulantes obstructions a Præcticis commendetur, dum peculiarem omnino incidentem, resolventem, et aperientem effectum exferit. Sunt etiam, qui adhuc sudoriferam et diureticam ejus virtutem laudant, neque his me opponam, quum notissimum sit, quod stimulus, quo fiunt hæ excretiones, modo huc modo illuc, pro regimine observato, aut aliorum medicamentorum commistione, derivari possit, quin imo ex sola resolvente ejus virtute explicari hoc poterit: Si enim obstructions, ceu impedimenta se- et excretionum, actione ejus recluduntur, has pariter restitui, in propatulo est.

## §. XI.

Sed et externo etiam usui destinatum est. Cum enim putredini resistat, et penetrantis naturæ sit §. 10., hisce etiam proprietatibus dudum sese in gangræna commendavit, ideoque a Chirurgis ut plurimum inter cataplasmata, huic morbo opponenda, recipitur.

## §. XII.

Sequitur alia salium mediorum classis, quæ acidum vitriolicum pro basi habet, et primo quidem obviam nobis venit sal illud notissimum, et jam temporis fere polychrestum,

stum, quod dicitur *Tartarus vitriolatus*. A longo jam tempore encomium salis digestivi universalis reportavit; ex quo videre licet, effectum incidentem, ideoque digestivum in hoc sale laudabilem observatum esse: Ast operatur etiam stimulando et resolvendo, hinc et aperiens virtus ipsi competit.

§. XIII.

*Arcanum duplicatum* ex iisdem principiis, uti ex consideratione chemica patet, constat, viribus igitur tartaro vitriolato non cedit, et testantur quoque Præfici, eodem effectus, ac illum, præstare. Quod vero usus hujus non tam frequens sit, quam prioris, ex hac forte causa fit, quod raro in pharmacopoliis præparetur, sed plerumque ematur, ideoque dubium faciat medicum, an sit arcanum duplicatum rite saturatum, et elaboratum.

§. XIV.

Nec multum ab his ratione effectus discrepant salia, §. 23. considerata. Effectum vero chemicum nequaquam intelligo, qui notabilem discrepantiam ostendit, sed medicum tantum volo. Hic interim æque egregius et maxime proficiuus est. *Sal enim Glauberi mirabile* eximiam laxandi virtutem sine molestia et corporis detrimento exserit, laudatur quoque ad alias excretiones cohibitas revocandas, quin ad fluxum menstruum restaurandum a celeberrimis in arte nostra viris deprædicatur (\*), et hanc prærogativam adhuc tenet, quod maxime necessarium sit ingrediens ad misturam, quam Chemicorum quidam ad imitandos fontes foterios sibi excogitarunt.

§. XV.

(\*) Vid. Schulzsius in materia medica.

## §. XV.

*Sal Anglicanum, Ebshamense*, et *salia fontana* reliqua ficti principiis, ita et viribus, cum mirabili Gl. conveniunt. Virtus cathartica quotidiano usu ita se comprobavit, ut superfluum foret multa afferre. Quod vero *salia hæc fontium* alio scopo plus præstent, si in forma fontis salubris cum vehiculo suo propinantur, id procul dubio spiritui minerali elastico, ceu primario ejusmodi aquarum salubrium ingredienti, tribuendum est.

## §. XVI.

Jam vero *sal* sequitur, quod plane diversam a prioribus naturam habere dicitur. Quilibet facile intelliget, me de *Sale volatili vitrioli narcotico* sermonem facere. Cum enim priorum actio stimulando et motus concitando absolvatur, hoc contrarium prorsus effectum, sedantem nimirum et motus deprimentem, secundum Practicorum observationes, exserere fertur. Dicitur quidem narcoticum, attamen, qua ratione quibusve principiis effectum talem præstare valeat, difficilioris forte indaginis est: Probabile cæteroquin videtur, eundem ab inflammabili Boracis principio, cum oleo vitrioli conjuncto, dependere, quum certum omnino et experientia comprobatum sit, hoc in aliis quoque processibus fieri, et celeberrimus præterea b. m. Hoffmannus e residuo olei vitrioli dulcis verum sulphur anodynum fixum impetravit. (\*)

## §. XVII.

Jam et usus medicus *Salis secreti Glauberi* indicandus esset; Sed cum hic locorum non adeo frequens sit, nos in determinando illo non prolixiores erimus; interim tamen virtus insignis resolvens, et aperitiva ejus annotari meretur. Quod vero non sæpius in usum vocetur, ideo procul dubio fit, quia alia jam habemus *salia media*, quorum virtus hujus viribus

(\*) Obf. phys. e hym. p. 180.

viribus æquiparanda; cujus census sunt nitrum flammans, flores salis ammoniaci, et certo modo tartarus solubilis.

§. XVIII.

Sed restant adhuc ex classe hac salia sic dicta polychresta, de quibus hic mentio injicienda erit, quamvis de usu et viribus non multum dicendum sit, cum enim §. 28. 29. considerationis chemicæ demonstratum sit, salia hæc ab arcano duplicato et tartaro vitriolato non discrepare, horum vero virtutes supra jam memoratæ sint, opera hac jam supersedebimus. Comprobant hæc autorum sententiæ de viribus eorum. Boerhaavius multas et egregias sane enarrat (\*) sed eadem dictis pariter salibus tribuuntur.

§. XIX.

Ultimo usus medicus salium mediorum exponendus venit, quæ acidum vegetabile a prioribus pertractatis distinguit. Offerunt se vero ex his primo, quæ acido malorum citri saturata sunt, ut *Tartarus citratus*, et *Sal absinthii citratum*.

§. XX.

*Tartarus citratus*, quanquam hodie non tam crebro in usum vocetur, non contemnendæ tamen virtutis est. Diuretica enim, et leni diaphoretica, æque ac *Sal absinthii citratum*, instructus est; nec hoc mirandum, cum, more salium mediorum facile solubilius, in minima corporis nostri vascula penetrare valeant, et sic abstergendo et resolvendo operationem suam absolvant. Quod autem antifebrili virtute pollere credantur, eodem fundamento nititur: Cum enim impuritatibus per supra dicta emunctoria exitum præparent, patet, qua ratione et hoc attributum tueri possint.

§. XXI.

Sequuntur jam *Tartarus tartarificatus*, *Tartarus solubilis* et *Terra foliata tartari*. Juvabit hæc tria semel et simul allegare,

(\*) Anfangs-Gründe der Chymie, p. 761.

legare, cum omnia egregiis plane et haut vulgaribus viribus prædita sint, nec alterum ex illis alteri cedat, ideoque promiscue fere et quotidie in usum medicum trahantur. Gaudent vero præcipue incidente, abstersiva, et aperitiva virtute, immo, et laxandi facultas, quæ admodum tamen blanda est, iis denegari nequit, priores nihilominus, cum effectus longe nobiliores inde propullulent, prærogativam tenent. Quot enim casus sunt, ubi mucositates crassæ ac tenaces ductus opplent, quot morbi, qui calculoso-pituitosis impuritatibus originem debent? Omnem sane indicationem tunc explebunt salia hæc facillime liquefcentia et saponacea, impuritates mucidas nempe abstergent, humores viscidos atque concretos solvent, quin ortas jam obstructions feliciter sic referabunt. Si Practicos consulimus, hæc omnia per experientiam comprobata reperimus, et si dubia hic metuerem, veterum pariter ac recentiorum testimonia subungere, mihi facillimum foret.

§. XXII.

Hæc sunt, quæ mihi de recensitorum salium mediorum viribus, et usu hac vice proponere placuit. Longe quidem prolixior in enarrandis virtutibus medicamentorum tam illustrium esse potuissem; Verum, cum potiora faltem, quæ fati in antecedentibus exposita credo, attingere animus fuit, vela contrahere, et dissertationi finem imponere, consultius duxi.

T A N T U M.





NOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO


S. P. D.

PRAESES.

Vero utique consentaneum est, *Candidate Ornatissime*, amplissimam artem chemicam, quod statim in limine Dissertationis TVAE commemorasti, multa Medicis, eaque efficacissima ac praestantissima, sanitatis conservandae ac restaurandae praesidia foenerari. Probo itaque consilium, ac laudo, quod argumentum de Salibus enixis, non novum quidem, iterata nihilominus consideratione dignissimum, TIBI pertractandum elegeris, idemque ita etiam, absque meo, aliorumque adminiculo, elaboraveris, ut potiora, salium mediorum genesis, elementa, et usum medicum concernentia, ad ordinem bonum atque synopticum redacta inveniantur. Satis omnino brevi hoc specimine comprobasti, TE in medicis aequae, ac chemicis versatum esse, TEQUE in Halensi non minus, quam nostra Academia studium et operam necessariis addiscendis cum fructu impendisse. Publico pariter huic scientiae solidioris documento meum testimonium jungere nullus dubito: Ita enim in utroque examine privato TE gefisti, ut Ordo noster desiderio TVO annuere protinus decreverit. Alacri igitur animo cathedram conscende, ac strenue publicas meditationis TVAE primitias, quas passim oppugnant adversarii amici, defende, ut omnium, qui praesentes erunt, applausu decretos honores Doctorales, quos TIBI e toto pectore gratulor, et iterato in cathedra gratulabor, reportes. Vale diutissime, ut multi quoque, qui TVO in posterum consilio et opera usuri sunt, valeant, fructibusque industriae TVAE et eruditionis diu tecum et abunde fruantur. Dab. d. xxii. Maji, MDCCLII.

D

PRAENO-



**D**um TIBI certatim plures gratantur amici,  
 Et nomen celebrat docta caterva TVVM.  
 En mea Musa simul meritis applaudere gestit  
 Virtutum, ex animo prospera quæque vovens.  
 Non vulgare sapis, Fautor, sublimius urges  
 Cursus, queis monstras doctius ingenium.  
 Præmia quod multo magnoque labore parentur,  
 Testis et exemplo TV potes esse TVO.  
 Indefessus eras Musarum cultor, amice,  
 Hastenus, ac hodie præmia digna capis;  
 Gratulor atque precor: vasti moderator Olympi  
 Et posthac coeptum prosperet omne TVVM.

Hæc præstantissimo Domino Doctorando, amico  
 suo longe carissimo, non infelici ausu ad lau-  
 ream properanti medicam, properante adjecit  
 calamo gratulabundus,

**JO. ALBERTVS WESSEL,**  
 Med. Doct. et Pract.  
 Phycus Francofurtens. Regius Ordinarius.  
 PRAENO-

— — — — —  
 PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
**DOMINO DOCTORANDO**

AMICO SVO AESTVMATISSIMO

S. D. P.

**JOANNES GOTTHELFF BREDNOW.**

MED. CAND.



**M**ulta successu temporis clarescere, consensu virorum doctissimorum affirmo. Scientiarum quoque incrementum, quod ceperunt, id satis superque docet. In tractatione harum olim multa sane studiosis aut erant obstaculo, aut remoram illis faciebant, quae nos non experimur, cum studio ac diligentia virorum praestantissimorum a nobis remota videmus. In medicina temporis tractu haec correcta ac emendata non solum in theoreticis eius partibus sed etiam practicis apparuere. In memoriam tantum revoco tempus post Harvaeum, desiderium causas quam accuratissime afferendi, studium virtutes medicamentorum explorandi, ardorem omnia ita determinandi, ut aeger cito tuto ac iucunde certo certius restituatur. Quot veterum opiniones evanuerunt? Idem illud testatur Chymia; quae quasi obumbrata existerat, quod huius scientiae historia illustrat. Cuius theoria et praxis mirum in modum mutata, tot saluberrima medicamenta, tot egregia inventa nobis suppeditavit. In enarratione horum vel ipsius Chymiae partium nunc non haereo, cum unusquisque Chymicus consentit. Edulcorationem et fermentationem tantum nomino, reliqua praetero. Servit ergo chemicus rei publicae magis quam primo

mo intuitu videtur. Examinando exquirat, quae sint fugienda aut eligenda, quae ad servandam aut restaurandam valitudinem sint emendanda, aut exploranda, et quanam praeparari possint, e quibus res publica ope artificum opificumque fructum percipere queat. Quae doctrina obscura quaedam adhuc continet, quod unanimi celeberrimorum chymicorum consensu testatum ibit quisque. Quid ergo est in optatis? In hoc a chymicis omni cura ac studio elaborandum est, ut haec quoque scientia evadat certissima. Recte ergo **PRAE-NOBILISSIME HONORVM DOCTORALIVM CANDIDATE** ex chymia loco speciminis thema selegisti et elaborasti, cum et scientia haec et diligentia **TVA** in hac etiam parte laude dignissima. In lucem prodit tractatio haec **TVA** docte scripta, quae studium **TVVM** ac datam rei medicae operam exhibet. **TE** vere optime instructum, **TEQUE** praemiorum diligentiae post studia **TVA** academica cum laude peracta dignissimum video. Quare non possum non, quin optem, ut fructum industriae **TVAE** plurimum consequaris. Gratulor **TIBI**, **AMICE AESTVMATISSIME**, de eximiis in arte medica acquisitis profectibus: gratulor **TIBI** de exoptato et felici studiorum exitu; gratulor denique **TIBI** ex animo de gradu doctorali, quem nunc impetras. Ut eventus semper ad rem respondeat, opto. Omnis salutis felicitatisque nostrae auctor servet **TE** salvum et incolumem, ut diu auxilio et solatio sis aegrotis, et cum omni voluptatis genere aetate procedas. Sit **TIBI** Deus semper propitius, et coepa **TVA** omni tempore secundet. Liceat **TIBI** felicitatem **TVAM** et gloriam augere, ut vis. Hoc et fausta quaevis alia **TIBI** adprecor. Res **TVAS** omnes age feliciter. Amicitiam, ut sancte serves, rogo. Dabam d. XVIII. Maii MDCCLI.

Jüngst

Jüngst zeigte mir ein Traum den Tempel der Hygee;  
 Der Vorwitz nahm mich ein das innre selbst zu sehn.  
 Der rauhe Dornenweg, die steile Felsenhöhe,  
 Nichts konnte meiner Lust zu forschen widerstehn.  
 Ich stob ins Heiligthum, und mitten durchs Gedränge  
 Bis zu der Göttin Thron, und ihren Rauchaltar.  
 Ihr majestätischer Blick, betrachte die Menge  
 Der Opfernden, und sand in dieser grossen Schaar,  
 Daß tausend ungeweyht, sich kühn zum Altar neigten,  
 Da ächte Priester sich gedrängt durch diesen Schwarm  
 In Winkeln und entfernt der Gottbeit Augen zeigten:  
 Und dis gebahr in ihr Schmers, Eifer, Muth und Harm.  
 Und plötzlich sprang sie auf, und rief mit harren Tone  
 Und Hand und Auge droht: Verwegne Lasterbrut!  
 Raht sich dein frecher Fuß so gar Hygeens Throne?  
 Weißt du noch nicht, wie weh der Götter Rache thut.  
 Sie schwieg. Ein feurger Strahl durchdrang des Tempels Zinnen  
 Und machte Chor, Altar, Vorhof und Tempel rein.  
 Und kurz, die Schaar verschwand. Nur wen'ge blieben drinnen,  
 Die Fleiß, Erfahrung, Kunst zu wahren Werken weyhn.  
 Ich lief sie alle durch aus Vorwitz, sie zu kennen.  
 Hier traf ich = = doch wer kennt die grossen Männer nicht?  
 Die meine Brust verehrt, auch ohne sie zu nennen.  
 Und leztlich fiel mir auch Dein Bildniß ins Gesicht.  
 Ich sah, Geehrter Freund! Dich Meditrinen nahen.  
 Ihr lächelnd holder Wincel bewegte Deinen Fuß.  
 Es räumten Dir die Bahn mit Freuden, die Dich sahen,  
 Du warrst vor ihren Thron, und Dich empfing ihr Kuß.  
 Mein Sohn, dis sagte sie mit aufgelärten Blicke,  
 Nimm hier von meiner Hand dis Purpur-Kleinod hin!  
 Dein Fleiß, Dein emsig seyn verdienet dieses Glück,  
 Ich seh schon, wie ich selbst in Dir geehret bin.  
 Drauf übergab sie Dich Cartheusern, Dich zu weyhen,  
 Der nahm und salbte Dich, und schmückte Brust und Haupt,  
 Ich sing nobst andern an mich deines Glücks zu freuen.  
 Und plötzlich ward mir Lust und Schlaf und Traum geraudt.  
 Doch heute seh ich Dir die Ehren-Lorbern blühen,  
 Drum rufst, mein Hoppe, Dir die ächte Freundes-Pflicht  
 Viel tausend Wünsche zu. Es kröne Dein Bemühen  
 Gott, Ehre, Glück und Zeit. Mein Freund, mehr brauchst Du nicht.

J. G. F. L. V. C. A. N. D.



So zeigt nach einer bangen Nacht  
 Von Kummer, Krankheit, Quaal und Sorgen,  
 Die Dich und uns betrübe gemacht,  
 Der heitre längstgehofte Morgen  
 Dir endlich den erstritten Preis  
 Vor Deine Müß und regen Fleiß  
 In Mantel, Hut, und Ring, und Crängen  
 Der Finger, Haupt und Schultern ziert.  
 Drum muß dis Fest, wie sich gebührt,  
 Mir doppelt schön und herrlich glänzen.

Ja, liebster Bruder! nimm den Zoll,  
 Den Lieb und Blut freywillig senden.  
 Fortbin beruht nächst Gott dein Wohl  
 In Deiner Kunst, in Deinen Händen.  
 Du, Deines Hauses ächre Zier,  
 Zeigst Deiner Vaterstadt in Dir,  
 Die Dir den ersten Hauch gegeben,  
 Die Hoffnung, als den ersten Lohn,  
 Du werdest, als ihr ächter Sohn,  
 Sie einst durch Deine Kunst erheben.

Hiermit legte ihre Freude gegen den Hrn. Doctor  
 an den Tag

R. C. W.



01 A 6512 (A)



f


TA → OL


nur Stk 10 bisher verknüpft  
und Stück 39

R

1077







Farbkarte #13

B.I.G.



38 37

INAUGURALIS  
-MEDICA

MEDIIS

AM  
E FACVLTATIS MEDICAE  
S IDE  
CO CARTHEVSER

PROF. PVBL. ORD.  
is h.t. RECTORE  
ED. DECANO

V DOCTORIS  
HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
MPETRANDIS

ANNO MDCCCCLII  
D. C.

ENDET  
CTOR.  
TTLIEB HOPPE  
NEO-MARCHICVS.



AD VIADRVM  
IS CHRISTIANI WINTERI  
EG. TYPOGR.